

*& singulis vestrum, in hiis & ea tangentiibus diligenter pareant & intendant. In cuius rei testimonium presentibus nostrum fecimus apponi sigillum. Datum Parisus, die Dominicā post festum Beatorum Petri & Pauli Apostolorum, anno Domini M. CCCI.*

PHILIPPE IV,  
dit le Bel,  
à Paris,  
le Jeudi après  
la Saint Denys,  
( 12 Octobre )  
1301.

(a) Lettres de Philippe IV, portant des modifications quant à l'exécution des Lettres pour la prohibition des Monnoies étrangères.

**P**HILIPPUS, Dei gratia Francorum Rex, dilectis Gentibus nostris, ad negocium captionis & inquisitionis monetarum prohibitarum per Regnum nostrum deputatis à Nobis, salutem & dilectionem. Subditorum nostrorum indemnitati providendo, dictarum monetarum prohibitarum Ordinationem nostram moderari volentes, mandamus vobis quatinus Prelatos, Barones & alios subditos nostros, in eorum terris altam & bassam habentes Iusticiam, non impediatis quin ipsi in terris suis predictis Ordinationem monetarum per Nos factam observari faciant, & puniant, quantum ad eos pertinet, hujusmodi delinquentes. Verumtamen in casu negligencie ipsorum, super hoc à Nobis comissum vobis officium etiam in ipsorum subditos exequamini diligenter. Item. Mandamus vobis quatinus si aliquos florenos vel grossos Turonenses, seu quacumque alienam monetam nostram, sive per se, sive cum aliâ monetâ prohibitâ junctos, super aliquos cepisis, dictam monetam prohibitam retinentes & Nobis applicantes preditos florenos & grossos Turonenses ad monetam nostram, reddatis illis super quos cepitis eosdem, vel eorum valorem, si Nobis fuerint applicati; & pro inveniendis monies prohibitis domos, arcas, vel bursas cuiuscumque, minimè perquiratis. Item. Mandamus vobis quatinus inquestas quas incepitis contra Nobiles, Clericos, Capitula, Communias, vel alias personas quascumque, pro eo quod dicitur ipsas monetas prohibitas in Regno nostro cepisse vel allocasse, suspendatis ad presens, non procedentes ulterius in eisdem: illas vero inquestas quas incepitis contra Campsores seu mercatores aut alias personas, super eo quod dicitur ipsas nostras monetas extra Regnum nostrum ad billionem extraneae monete portasse, vel monetas prohibitas pro mercando de ipsis ad Regnum nostrum aportasse, non portando eas ad monetam nostram, ulterius in eis procedentes, totaliter compellatis, & nostre Curie reportetis, una cum certitudine totius valoris bonorum personarum hujusmodi contra quas feceritis inquestas predictas in similibus casibus, cum vobis emerget vel innoverit, & in ceteris insuper comissum vobis officium contingentibus, Ordinationis nostre dictarum monetarum & prescripte moderationis tenoribus observatis, cum sollicitate diligentia procedentes, & comissum vobis officium exequentes. Damus autem omnibus fidelibus Iusticiariis & subditiis nostris, tenore presentium, in mandatis, ut ipsi in predictis & ad ea pertinentibus, secundum predictorum tenorem, vobis obediant diligenter. Actum Parisus, die Jovis post festum Beati Dyonisi, anno Domini M. CCCI.

#### N O T E

(a) Registre du XIV.<sup>e</sup> siècle, coté N.<sup>o</sup> 8409 des MSS. du Roi, fol. 82. M. Minard a fait imprimer ces Lettres dans son Histoire de Nîmes, Tome I.<sup>e</sup> Preuv. page 143 col 1, d'après ce Registre.